1515º ce 3. Julij —

Sigismundus Primus Rex Poloniæ Barbaræ Reginæ Conjugi Suæ

100

Serenissima Princeps etc.

Literis Cæsareæ Mtis. et nuntiorum nostrorum relatu, accepimus, eandem Mtem. ad hanc diem appulsuram Viennam, quod quoniam factum putamus, unà cum Fraterna Mte, cum officij gratiâ, tum, etiam ut de loco Conventûs, convenirent, insignes Oratores eo mittendos duximus, videlicet Rndos Dnos Georgium Quinque Ecclesienses, et Joannem Posnanienses Episcopos, et Mgfcos. Ladislaum de Stemberg, Regni Bohemiæ Cancellarium, Moysen Bunslai Magistrum Curiæ Serenissimi Fratris nostri, Domini Hungariæ Regis, Lucam de Górka Castellanum Posnanienses, et Capitaneum Majoris Poloniæ Generalem, et Christophorum de Szydłowiec, Castellanum Sandomirienses et Regni nostri Cancellarium, Quos facilè effecturos existimamus, ut cum Cæsarea Mte in Bruk Oppido, quod medio penè spatio Viennæ et Posonio, interjacet, convenire possimus.

neque enim

neque enim de ictione nostra Viennam, quic=
=quam adhuc satis constituti habemus. Illud
verò certum est, adeo jam pridem res omnes
utrinque obfirmatas esse, et ubicunque locorum
conventus sit futurus, cum brevi temporis spa=
=tiò, solutum iri. Quo fiet ut (: quod mirificè
cupimus :) ocissimè Mdem Vestram, nostri piâ
cura ac sollicitudine, levaturi simus, nostro=
=que inestimabili desideriò, satisfacturi, quod
simulque salutem, ac successus nostros aman=
=tissimis literis Mdis Vestræ, et nuntio invi=
=seri nobis pergratum extitisse non ignoret,
hoc verò futurum, omnium longè gratissimum
si Vestra Mdas, quamvis anxietate prorsùs
positâ, hilari ac læto, aut saltem æquiore
animo, hoc reliquum absentiæ nostræ pertu=
=lerit, sequè pro votis nostris, nostri continuò
memor, servarit incolumem, quod eam pro
singulari sua prudentiâ, apprimè curatu=
=ram confidimus, æquissimum censentes,
ut apud eam, quæ spontaneis officiis, nobis
semper probatissimis, menti nostræ, ultrò so=
=let occurrere, præces quoque nostræ, debitum
pondus habere dignoscant,. Nos verò quod
facimus, Mdis Vestræ jucundissimam memoriam,

mentio

memoriam, mentionemque, nullo unquam tempore intermittemus. Res Illmorum Generum Nostrorum, et Domini Ducis Casimiri, apud Fraternam Mdem habituri, quam commendatissimas. Cupimus Mdem Vestram esse incolumem. Cujus intimo amori, nos etiam atque etiam commendamus — Datum. Posonij. Die Tercia Mensis Julij. Anno Domini Millesimo Quingentesimo Decimo Quinto —